



...dign...
...ola: rap...
...bonis op...
...me ab oī p...
...ellum s...
...ad eritū aīe m...
...quasi a...
...prima refuge...



LIBER

LIBER V. 510

admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione
verum celestem instrues, os loquens mihi,
contradictore, aut resistere neque
fur in conspectum tuum supple.
dures tuas perueniat. libera
um recepsisti, ab omni periculo,
is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

Quæstabunt labia mea
Inscueris me iustificatione
pronunciabit lingua
psuum: quia

animi promissio, vtrōdo
me Domine, et verbi
in explic
abra quæ
abra quæ
non erit certe vllum
is benefi
m, nisi d
osuo. am
VI. VII.

mandata tua vt saluet me: quoniam
mandata tua elegi.

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione doct
firnam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex
plicare possim, sublatâ voce clamorem ad te edo. Quare tueri me
et defende: vt de tuorum decretorum præscriptionibus viam
et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
maui: quia in verba tua superpera
Præuenerunt oculi mei ad re
culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
hens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fu
stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m
ad curæ me commisso sermone habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
fericordiam tuam Domine: & secundum
dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi
meriti, quod ab opibus nostræ naturæ proficisci potest.
tum misericordiae, et clem
ta peccata, inquit Ambrosius
implorantis tuam
tam mihi hanc quam
ex hominibus

es me

XXIII.

Positionum Theologicarum Centuria. 833.

DE SACRAMENTIS DOMINI NOSTRI
Jesu Christi Cœnâ.

Caluinianorum de hoc articulo erro-
ribus opposita.

SVB PRÆSIDIO

Reuerendi clariss: & excellentiss: viri,

DN. ANDREÆ

OSIANDRI, SS. THE-

OLOGIÆ DOCTORIS, EIVS-

DEMQUE IN INCLVTA TVBINGENSIVM

Academiâ Professoris celeberrimi, Academiæ Cancellari,

Ecclesiæq; ibidem Præpositi dignissimi, Do-

mini & Præceptoris sui plurimum

honorandi.

Ad disputationem publicam diebus 20. & 21. Augusti.

In Aulâ nouâ.

Auxilio spiritus sancti habendam.

PROPOSITA

A

M. DANIELE HERMANNO

Wratislauensi Silesio,

Tubinga,

Typis Ioan: Alexandri Cellii, Anno M. DC. XIII.

14

MAGNIFICIS
 NOBILISSIMIS CON-
 SVLTISSIMISQVE
 VIRIS,
 DNO. PRÆFECTO
 DOMINIS PRÆSI-
 DIBVS

Nec non

CÆTERIS INCLVTÆ WRA-
 TISLAVIENSIVM REIPUBLICAE SENATO-
 RIBVS AMPLISSIMIS SPECTA-
 TISSIMISQVE.

Dominis & Patronis suis magnis.

Disputationem hanc Theologicam,

*Gratæ mentis & obseruantiaë debitæ monu-
 mentum*

dedicat


M. DANIEL HERMANNVS
 Wratislauensis.

Respondens & Author.


DE SACRAMENTO
NOSTRI IESU CHRISTI
COENAE.

THESIS

I.


 Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non ratione discutiendum, venerandum & admirandum non diiudicandum, aut ad rationis vel sapientiae humanae calculum reuocandum, ratione in obsequium Christi captiuâ ductâ, & malè valere iussis speculationibus extra verbum, absurditatibus & contradictionibus rationis humanae, *inquit D. Bernardus Epistola 77.* Non igitur fas est vel tacito sensuum humanorum limo, vel labiorum coeno inquinare tam incontaminata mysteria, verè secundum *Damasceum ὁρθόδοξος* nec colorem nec inquinamentum vllum admittentia.

II.

Utinam vero tali animo ad meditationem sacrosancti huius mysterii ingressi fuissent superiorum temporum Ecclesiae seductores potius quam Doctores, sic enim nulla amplius esset quaestionum controuersarum perplexitas, nulla opinionum sententiarumq; varietas neq; librorum quos *σύρραξις* illa jam per annos propè centum inter nos & Sacramentarios agitata, peperit, copia fermè infinita.

III.

Verùm, perpetuus iste est Diaboli conatus, quo consolationem

Disputatio Theologica,

solationem illam, quam in cæna sua Dominus sanè maximam suauissimamq; reliquit, è medio tollere laborauit: itaq; jam inde ab initio fundatæ noui Testamenti Ecclesiæ, omnibus temporibus homines sacrilegos excitauit, qui non dubitarent, ipsa nos Christi carne, & profuso pro nobis sanguine, quantum quidem in ipsis est, spoliare: Ita, vt ipsum quoq; *Simonem Magum*, hæreticorum omnium Patriarcham ab errore Sacramentariorum non alienum fuisse, referente *Theodoro*, expressè testetur *Ignatius in epistola ad Smyrnenses*, in qua illos exhortatur, vt sibi à *Simonis Magi* asseclarumq; illius doctrina caueant, inter alia ideò, quia Eucharistias & oblationes non admitterent, neq; confiterentur Eucharistiam esse carnem Saluatoris Iesu Christi.

I V.

Videantur plura apud Chemnitium p. 118. fundamentorum SS. cano.

Quem Patris sui siue errorem, siue furorem, subsequen-
tium temporum hæreticos fideliter retinuisse, demonstra-
tu facilimum foret, si instituti nostri ratio ferret, historicam
certaminis Sacramentarii annotationem pertexere. Suffi-
ciat hoc loco breuibus annotasse, quibus mediis, quoue
autore, juratus veritatis hostis, infelix illud lolium, inter
prima Ecclesiæ superioribus temporibus è Pontificio sabu-
lo renascentis semina, spargere laborauit.

V.

Videns enim milleartifex iste, se, neq; aperta vi neque
occulta fraude preciosissimum diuini verbi Sacramento-
rumq; depositum, *B. Lutheri* opera à fermento Pontificio
repurgatum, opprimere, neq; externorum etiam hostium
insultibus cursum Euangelii impedire posse; in medio Ec-
clesiarum reformatarum gremio, hominem feroculum &
stolidum.

de sacra cœna Domini.

837.

solidum induit, *Andream* nempe, *Carolstadium*, *Ecclesia Wittebergensis*, tum temporis *Archidiaconum*, ut is primus *Tragoediæ Sacramentariæ* author esset.

V I.

Hic ergo sola impudentia fretus (*Luthero* ob veritatem *Euangelii*, quam coram *Imperatore Carolo*, Imperii-que *Principibus* constantissimè professus erat, non nihil periclitante, & de voluntate *Electoris*, in loco solitario, donec turbæ consulescerent, viuente) arrepta occasione, non solum statuas & imagines è templo *Wittebergensi* tumultuosè deiecit, sed & in ipsa doctrina se à *Luthero* dissidere, egregiumq; ingenii sui foetum, de absentia corporis & sanguinis *Christi* in sacra cœna, apertè profitetur.

Anno Christi
1522.

Anno 1525.

V I I.

Dignum sanè tali authore commentum, fueritne opus hoc ex Deo an ex Diabolo, iudicent moderni eiusdè propugnatores, si illis adhuc sani iudicii mica superstes: *Carolstadio* namq; authore cœptum, at quo viro? audiamus id ex *epistola Philippi ad Myconium*, quæ inter alia sic habet. *Carolstadius* primùm excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium, aut intelligere, aut facere animaduertimus: tantum abest, ut significatio aliqua *Spiritus Sancti* in eo animaduersa sit, Imò extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat *Ἰσδαίξεν και σασιάζεν*. Damnabat omnes leges ab Ethnicis conditas: contendebat Ius in foro ex *Mose* dicendum esse, non intelligens vim & naturam *Christianæ* libertatis, totam illam fanaticam *Anabaptistarum* doctrinam, statim ab initio *ταὴν ἀμφοῖν* amplectebatur, cum cœpisset

A 3

eam



Disputatio Theologica,

» eam in Germania serere *Nicolaus Storck*: & controuersiam de coena Domini tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione movit. Etenim, cum *ἐκνομαχία* ipsius à Luthero improbata esset, cœpit iste, inflammatus immani cupiditate vindictæ, quærere causam vendibilem, qua Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniæ testari potest, nihil me hac in re fingere. *Hactenus Philippus.*

VIII.

Sed *Philippum* ex odio forsan *Carolstadii* hæc scripsisse clamitabunt ij, qui *Carolstadium*, Ptæceptorem & antesignanum ad hunc vsq; diem seqvuntur; quid ergò de hoc Eucharistici certaminis autore scribat atque sentiat ipse *Zvvinglius* videre est *Tomo 2. operum illius fol. 153. & in subsidio fol. 244.* cuius inter cætera hæc sunt verba, *Carolstadium* vehementer quidem cucurrisse: sed nonnihil extra oleas.

I X.

Cumque nulla hæresis adeò sit delira & impia quæ non suos habeat sectatores & asseclas, ita huius etiam opinionis Patroni quam plures extitere, qui vel ipsidem vel aliis mediis & argumentis, sensum verborum institutionis legitimum mutare, labefactare, imò tollere etiam conati sunt.

X.

Hinc *Zvvingliani* etsi expositionem verborum Cænx à *Carolstadio* traditam, monstrosam fuisse, ipsimet diffiteri nequeant; sententiam tamen eiusdem de absentia corporis & sanguinis Christi à Coena se retinere, ipsemet fatetur. *Zvvinglius in epistola ad Senatum Basiliensem,*

de sacra cœna Domini.

839

sem, idēo particulam est pro significat accipiendam esse contendebat, huiusque suæ opinionis fundamentum à quodam per quietem monitōre, (qui tamen albus an ater esset, ipsemet non meminerit) sibi suppedidatum gloria- tus est.

X I.

Oecolampadius postmodum expositione *Zvvinglij* re- licta, vocem corporis pro figura corporis accipiebat.

X I I.

schvvenckfeldius verba institutionis ex oculis sepo- nenda esse (quia spiritualement intellectum impediunt) deli- tabat, & arenoso huic fundamento talem verborum insti- tutionis expositionem superstruebat. Accipite, edite, cor- pus meum quod pro vobis traditur, est hoc, nempe spiri- tualis cibus.

X I I I.

Alij ita vertebant. Accipite, edite, quod pro vobis traditur est corpus meum. *Alij* accipite, edite, hoc est cor- poris mei *μνημόσυρον* siue commemoratio.

X I V.

Alius quispiam, *Iohannes Campianus* nomine, vocem *corporis* pro creatura panis accipiendam censuit, hoc mo- do. Panis ille quem trado vobis est corpus per se, non vi- vum illud meum & naturale: sed à me tamen creatum, ac proinde corpus, sicut lapis & lignum quoduis, etiam corpus est.

X V.

Alij eo usq; impudentiæ processerunt, ut proposito hoc quasi impunitatis privilegio, Cœnam Domini peculiarem articulum fidei constituere negarent, ac proinde assererent nō esse cum periculo fidei vel salutis discrimine conjunctū, quomodo

Disputatio Theologica,

quomodo quisq; verba illa coenę tractare interpretari & intelligere voluerit: modo sententiam aliis quibusdam scripturæ locis consentaneam, concipiat. Quid? quod multis publicis etiam scriptis, verborum, in hac de testamento **FILII DEI** controversia, obseruationē supersticiosā appellare veriti non fuerunt, *quæ de re plura extant apud Lutherum in confessione minori tomo 8. Ienensi fol: 117. & Chemnitium cap: 1. fundamentorum SS. cœnæ.*

XVI.

Qui sanè spiritus omnes etsi capitibus inter se dissident, caudis tamen instar vulpecularum Samsonicarum colligati, ad incendium puritatis celestis directè feruntur; verba nimirum institutionis, non propriè vti sonant *κατὰ τὸ ῥητόν* sed figuratè accipienda esse, neq; corpus Christi verum & naturale in S. cœnâ his in terris substantialiter (licet inuisibili & incompræhensibili modo) præsens adesse, multò minus cum pane benedicto etiam ab hypocritis & incredulis fumi & manducari.

XVII.

Quæ cum ita sint, patet profligata calumniandi mentiendiq; libido Pontificiorum gregalium, Lutherum, omnium hæresium in Eucharistiæ negotio progenitorem, clamitant um. *Sic enim illorum quidam, citante Clarissimo Theologo D. Christophoro Pelargo in Iesuitismo p. 100. Alphonsus Salmeron tomo 9. operum p. 107. scriptit at.* Lutherus ipse in confessione quam ante mortem edidit scripsit: se nunquam, illa Sacramentariorum, foediorem sectam vidisse, quæ in sui exordio plusquam in octo factiones inter se diuersas & repugnantes fuit dissipata. Nam statim inter eos orti sunt Significatiui, Figuratiui, Tropistę, Sacra-

de sacra cœna Domini.

841

Sacramentarij, Impanatores, Ubiquarij, Energici, Arrabonarij, Stancariani, Schvvenckfeldiani, deniq; qui à *Petro Martyre* Martyristæ dici possunt, & *concludit postea*, hæc omnia uni *Luthero* hæreticorum nostri sæculi Principi debentur. Nam negata Transubstantiatione, fenestram aperuit magnam, ut cæteri omnes à doctrina illa declinantes perniciosè desiperent ac delirarent, Sathanæq; proinde capitalissimi Christi hostis negotium promoverent. Simile huic est *Posseuini illud in Bibliothecâ q. 332.* doctrinam Lutheri de Eucharistia farciminis instar esse scribentis. *Doctoris Ederi item, in Metaeologiâ hæreticorum* duodecim sectas in articulo de sacra Cœna *Luthero* imputantis. *Praetæoli* itidem triginta quatuor hæreses uni *Luthero* assignantis.

XVIII

Putidissimis hisce & ab ipsismet hæresium Patronis, dudum refutatis calumniis, non immeritò opponitur *Prophetica Megalandri Lutheri protestatio, in parænesi ad sacros ordines in Comitibus Augustanis congregatos An: 1530. tomos. Ienensi pag. 78.* sic habens. Dicent vero aliqui totum hoc culpa tua factum (quod nimirum tot jam passim sunt fanatici) tu autor es, & hi sunt doctrinæ tuæ fructus; Hoc sanè mihi ferendum est & novi istud de me spargi: sed & hoc novi, quam plures vestrùm viros optimos probè scire, quàm falsò ista spargantur: res est in proapatulo; ad sunt testes fide digni, quod fanatici isti doctrinam meam semper adspernati graviusq; persecuti fueriut, quam vestram, & multò fortius aduersus hos mihi pugnandū fuit, quàm aduersus Papam. Quomodo igitur ex doctrina mea orientur? vel, qui fit, quod eiusmodi lues, inter meos non est

B

exorta



842
Disputatio Theologica,

„ exorta, quos inter ipse quotidie docui, ubi tamen primum
„ omnium malum illud extitisse consentaneum est, si quod
„ ex doctrina mea provenisset, &c. *Haecenus Lutherus.*

XIX.

Quin imò, stat adhuc & contra varios Diaboli & organorum eius insultus stabit, invariata illa *B. Lutheri* Ecclesiarumq; protestantium confessio, *In victissimo Imperatori Carolo V. in Comitibus Augustanis An: 30. exhibita*, in qua, quid de hoc articulo sentiant Ecclesiae *γνησίας* reformatæ, satis planè & perspicuè propositum, quidve rejiciant, satis apertè dictum, quam suam sententiam *B. Lutherus* per totam vitam ad mortem usq; constantissimè professus; ita ut prolixum foret, ex scriptis ipsius omnia huc repetere, præsertim cum hoc penso egregiè functus sit *liber Concordiæ in declarat: à pag. 730. ad pag. 737. vsq;*

XX.

Suffecerit hoc loco seria illa *B. Lutheri* protestatio, quam biennio ante obitum confessioni suæ minori his verbis inseruit. Si Sacramentarium sententiæ fauere, aut communem mihi cum istis quicquam esse vellem, aut silentio saltem præterirem vanissimas istorum de consensu meo gloriationes, ipse ego extremæ damnationis sententiam tanquam *αυτοκατάκριτος* in meipsum statuerem, cuius rei nemo mihi, nisi ipsissimus Diabolus autor esse queat. *Et post pauca,* Quisquis veri & naturalis corporis *CHRISTI* manducationem etiam ab indignis faciendam non credit; is procul faceffat, neque amicitia à me quicquam expectet; sic stat summa & immutabilis animo meo sententia.

XXI. Quam

XXI.

Quam igitur semel de hoc articulo confessionem ediderunt Ecclesiæ nostræ, eam huc vsque firmiter retinuerunt. *Cuius rei testis est aureus concordia liber, cuius in Epitome p. 599. hæc sunt verba.* Credimus, docemus ac confitemur, quod in cœna Domini corpus & sanguis CHRISTI, verè & substantialiter sint præsentia, & quod unà cum pane & vino verè distribuuntur, atque sumantur, quodque verba testamenti Christi non aliter accipienda sint, quàm sicut verba ipsa ad literam sonant: ita, ne panis significet absens corpus Christi, vel vinum significet absentem sanguinem CHRISTI: sed ut propter sacramentalem unionem panis & vinum verè sint corpus & sanguis CHRISTI.

XXII.

Atque huius suæ adsertionis fundamentum aliud non agnoscunt, præterquam *verba institutionis* in suo genuino vero & proprio τῶ ῥητῶ intellecta, ut pote ex quibus solummodò, quid de sacra Cœna rectè statui pieq; dici debeat, iudicium faciendum.

XXIII.

Neque enim adversariorum quisquam ita absurdus est, qui negare ausit, ἀξίωμα illud πολυβρύλλητον & ὁμολογούμενος in Ecclesia receptum: singulos articulos fidei, in certis quibusdam scripturæ locis suam propriam quasi sedem habere, ubi ex professo tradantur & explicentur, ita ut vera & genuina ipsorum sententia ex illis locis rectè petatur & exstruatur.

XXIV.

Jam verò alia nulla magis genuina & propria doctrinæ

Disputatio Theologica,

844.

de sacra Coena sedes est, quàm ipsa institutionis verba. Neque enim antè vel post institutionem, sed in & cum illa institutione doctrina de sacra Coena in Ecclesiam introducta est.

XXV.

Qua in parte peculiare quippiam articulus iste religionis Christianæ, præ reliquis, obtinet. Reliqua enim dogmata plerùmque, licet in certis scripturæ locis sedem suam habeant, quasi in illustri loco positam: tamen omnibus temporibus in scriptura tradita & repetita sunt. Idcirco etiam ex collatione aliorum locorum, ubi eadem dogmata traduntur, rectè peti potest eorundem explicatio & collatio. Doctrina verò de Coena Domini ante institutionem non fuit in Ecclesia: sed in ea nocte qua traditus est Filius DEI, Coenam suam certa forma ita instituit & dogma illud tum primùm certis verbis ita tradidit, ut juxta illam regulam usque ad consummationem seculi velit, & Coenam suam celebrari, & dogma illud in Ecclesia tradi & dijudicari.

XXVI.

Quò etiam *Apostolus* ipse respexit, qui, cum in *Ecclesia Corinthiaca* de doctrina illa controuersia quædam exortæ essent, eorundem dijudicationem sumere voluit, non ex aliis scripturæ locis, sed ex illis ipsis verbis, quibus Christus in ea nocte qua traditus est, Coenam suam instituit. Ego enim, inquit, à Domino accepi, quod tradidi vobis quod Dominus *JESVS* in ea nocte qua traditus est, &c. *1. Cor. II. vers. 23.*

XXVII.

Planè igitur alienum, imò iniquum erit, veram de hoc articulo sententiam in aliis scripturæ locis, quando dogma illud in Ecclesia nondum traditum erat, quærere, postmodum

de sacra cœna Domini.

845.

dum opinione aliunde præsumtâ, propriam & nativam
verborum institutionis sententiam, turbare convellere at-
que evertere; valeat potius hoc loco pulcherrima illa *Hila-*
rii regula. Optimus ille lector est qui dictorum intelligen- “
tiam expectet ex dictis potius, quàm imponat, & retule- “
rit magis quàm attulerit, neq; cogat hoc videri dictis con- “
tineri quod antè lectionem præsumserit intelligendum.

XXIIX.

Diversum longè Dipnosophistarum gregi placuit, id-
circo de sacrosanctis institutionis Christi verbis minùs
modestè & honestè sentire consuevit. *Victorinus enim Stri-*
gelius censet: Sinistro saltem oculo intuendum in verba in-
stitutionis, dextro autem in naturas Christi & religionem
omnium temporum.

Victorinus Stri-
gelius in Epistola
ad VVilibaldum
Rambeccum.

XXIX.

Bucerus stomachosè appellat verbula aliquot mur-
murata super panem. *Daniel à Buren Consul Bremensis* eo
vsq; se abripi passus est, vt in *Colloquio Bremensi* dixerit, esse
quatuor vel quinque nullius momenti verba.

In caput 6. Io-
hannis p. 147.

XXX.

Petri Martyris hoc est Emblemata. Mihi semper visi e-
stis, minus quàm par est sapere, cum pro dogmate æquè
absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quic-
quam habeatis nisi Christi τὸ ῥητόν, hoc est corpus meum.
Non certè ovum ovo tam simile quam Sacramentarii isti
veteribus illis hæreticis, de quibus *Irenæus* cum ex scriptu-
ris arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scri-
pturarum.

Martyr in diali:
p. 127.

XXXI.

Alij caput sextum Iohannis nobis obiiciunt & ex illo
tanquam legitima sede, controversiæ huius decisionem

B 3

desu-



846.
Disputatio Theologica,

Tomo: 2. fol:
154.

desumendam flagitant. *Zvvinglius* in epistola ad *Matth. Aulberum* scribit, caput sextum *Johannis* esse velut munitissimam fortitissimamq; aciem huius certaminis: quam tamen aciem, ipse, sui quasi oblitus, postmodum destruit, dum ibidem concedit, *Christum* hîc nihil agere de Sacramento *Coenæ*.

XXXII.

In Creophag:
Vol: 1. fol:
271.

Idem facit *Beza*, asserens, hîc agi de eadem illa corporis communicatione, quæ in *Coena* visibili addito symbolo sancitur, eandemq; esse tum simplicis verbi, tum vtriusq; Sacramenti materiam. Idem sentiunt alii quam plures

XXXIII.

Quibus non immeritò obvertimus eiusdem Sacramentarij erroris antesignanos & socios, qui caput illud de manducatione Sacramentali accipi posse, ipsi eunt inficias. Sic enim *Calvinus* super caput 6. *Johannis*. Perperam hic locus de *Coena* accipitur, quæ nondum erat instituta. *Gualtherus* homilia 54. in *Iohannem* negat *Christum* eo loco loqui de *Coena*, & *Treleatius* p. 231. ait, Manducatio Spiritualis, de qua solùm fit mentio capite sexto *Johannis*, distingui debet à manducatione Sacramentali.

XXXIV.

Rationes quibus Ecclesiæ Orthodoxæ mouentur, quò minus caput 6. *Johannis* pro legitima controversiæ huius sede non admittant, ex ipso textu desumuntur firmissimæ.

XXXV.

Manducatio siquidem carnis *Christi* capite 6. *Johannis* descripta: I. Semper proficit ad salutem v. 51. II. Semper & omnibus est absolutè necessaria v. 53. III. Ideoque omnium etiam est temporum. IV. Debet esse continua.
V. Est



V. Est tantum manducatio fidei, atque manducatio Sacramentalis, Eucharistica, talis non est, Panis item qui est materia manducationis capite 6. Johannis, est Panis metaphoricè dictus: Panis vero qui est materia manducationis in Sacramento, non est panis metaphoricè sed propriè dictus: Ergò non eadem est hîc quæ illic est manducatio.

XXXVI.

Nec est quod *Caluini* glorientur & clamitent, *Lutheranos* à præsidio verborum institutionis dejectos, alia ex aliis principiis, suæ causæ quærere adjumenta: Stabunt enim verba, HOC EST CORPUS MEUM, firma & incoccussa, ad extremum judicii diem, ut pote quæ unicum nostræ causæ præsidium, neque præter illa quicquam ad confirmandam corporis Christi in sacra Cœna præsentiam, huc usque adhibuimus. Christi enim ordinatio & sanctio est mediū. ἀποδεικτικόν, καθόλου πρώτον, καθ' αὐτό, quod portæ inferorū non evertent.

XXXVII.

Quod verò interim alia quoque argumenta à nostris usurpata sunt, id non tam nostra voluntate, quam aduersariorum culpa, neque tam nostra asserendi, quam illorum objecta refutandi causa factum. Etenim cum illi verè præsentiae corporis Christi in sacra Cœna, corporis naturalis proprietates, adscensionē ad cœlos, & alia, opponerent, coacti fuerunt Orthodoxi ex iisdem locis ex quibus argumenta deprompta erant, respondere; Idcirco *Lutherus* in libro confessionis maioris quatuor argumentorum genera *Calvinianorum* objectionibus opposuit, quorum solidissimam explicationē proposuit *D. Gesnerus* disputatione 10. pro libro concordie cap 3.

XXXVIII.

Qua de causa discrimen illud inter duo argumentorum genera, quorum hoc loco usus est, diligenter observandum venit.

venit.

venit. Aliud enim argumentorum genus est *κατασκευαστικόν* sive confirmationis & constitutionis, alterum *ἀνασκευαστικόν* & confutationis. Illo *ὀρθοδοξία* constituitur, quodque velit Christus corpore & sanguine adesse in coena confirmatur: Hoc *ψευδοδοξία* quasi non possit corpore & sanguine suo ubiq; terrarum in coena praesto esse, confutatur. In posteriori genere articuli de vnione personali & sessione ad dextram DEI, ex quibus adversarii contra nos pugnare conantur, in subsidium adhibentur: in priori verò, fundamenti loco à Luthero eiusq; discipulis vnice proponitur Christi sanctio & ordinatio verbis institutionis descripta.

XXXIX.

Ex quorum verbis & circumstantiis compositam S. Coenae definitionem, nos quoq; huc repetimus, eamque talem.

X L.

Coena Domini est actio sacra à JESU Christo *θεωπρω* paulò ante mortem solemniter instituta, in qua ipse per suum ministrum cum vero pane benedicto, fracto & distributo nobis Christianis sumentibus exhibet corpus suum pro nobis in mortem traditum, manducandum, & cum vino benedicto & distributo, sanguinem suum pro nobis effusum, bibendum prebet, ad sui recordationem.

X L I.

Generis loco ponimus *actionem*, seu, quod proximum & immediatum est, *manducationem & bibitionem*, ita tamen, ne actiones preparatoriae, separatio, benedictio & distributio excludantur sed potius includantur. Proprium enim & legitimum omnium Sacramentorum genus, non ex relationis sed actionis Categoria desumendum demonstratur alibi fufius.

XLII. Patet

XLII.

Patet id ex inductione omnium tam veteris quam novi testamenti, Sacramentorum; Quid enim circumcisio aliud, quam pelliculæ præputij amputatio? quid Agni Paschalis ritus, quam eiusdem separatio, mactatio, comestio; quid Baptismus, ratione sui formalis, quam hominis in aquam immersio, vel eiusdem adpersio, sic quoque in sacra Cœna, manducatio & bibitio, actiones nempe in sensus incurrentes, reperiuntur.

XLIII.

Quod ipsum etiam divina Sacramentorum omnium institutio luce meridiana clarius demonstrat; ubi mandato divino semper expressè actio requiritur & præscribitur. De circumcissione Gen: 17. v. 11. Circumcidetis carnem præputij vestri. De Agno Paschali Exod: 12. vers: 3. & sequentibus. De Baptismo Matth: 28. v. 19. Baptizate, &c. De sacra Cœna Matth: 26. vers: 26. & 27. Accipite comedite, bibite, &c.

XLIV.

Esse verò sigillum & signum foederis & gratiæ, non tam ad Genus Formamve Sacramenti, quam ad eius finem & usum pertinet: neq;, secundum ipsorummet *Calvinianorum* opinionem, Sacramentis omni tempore & semper ista competunt. Quicquid autem à Sacramento separari potest, illud genus Sacramenti esse nequit: atqui esse sigillum gratiæ & remissionis peccatorū, à Sacramento seperari potest, secundum *Calvinianorum* (blasphemam tamen) hypothesein, ergo genus Sacramenti esse non possunt.

XLV.

Causa efficiens Sacramenti huius est JESVS CHRI-

C

STVS

850
Disputatio Theologica,

*Eph. 1. v. 10.
Matth. 17.
v. 5.*

STVS Θεάνθρωπος in quo uno placuit Patri uniuersa colligere, propterea que cœlesti voce nobis unice audiendum commendauit.

XLVI.

Hic verax iuxta ac omnipotens verbo suo Sacramentum hoc instituit, Quid igitur hæsitas? τί τῷ παντοδυνάμῳ ἀδυνατίαν περὶ αὐτοῦ εἶναι, ὃ ἐκ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πάντα παραγαγών; inquit *Nicolaus Methonensium Episcopus*: Quod si de voluntate eius dubitaueris, mendacem eum facis qui veritas ipsa est, si de facultate, impotentia arguis illum qui dixit, data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

XLVII.

Augustinus sermone 47. de tempore.

Galat. 3. v. 15.

In enarrat. Psalmi 22. vers. 8.

Confidera ergo autorem & tolle dubitationem, vide testatorem & ne in controversiam voces quæ ab ipso dicta; Nec enim hominis testamentum fit irritum, nec quicquam ei additur, si morte Testatoris fuit confirmatum; Quò respiciens *Augustinus*. Valent, inquit, verba hominis mortui jacentis sine sensu in monumento. At fedet Christus in cœlo & contradicitur testamento eius in terris. Qui fecit testamentum, vivit in æternum, audit voces nostras, agnoscit suam solam veram. Legamus igitur & retineamus verba illius: quid litigamus?

XLVIII.

Quanquam verò Christus primam Coenam ipsemet immediatè suis Apostolis dispensavit; sicut etiam doctrinam Evangelij, ipse viva voce promulgavi visum tamen ei fuit, post gloriosam in cœlos adscensionem, ut in verbis prædicatione sic in Sacramentorum administratione fidei pastorum & ministrorum Ecclesiæ opera uti.

XLIX. Neq.

XLIX.

Neq; , ut quidam errant , externa sacræ Coenæ symbola, panis & vinum, à ministro Ecclesiæ in terris, corpus autem & sanguis Christi ab ipsomet Christo in cœlis dispensantur, sed in ministerio Sacramentorum ut & Evangelij, causæ, principalis & instrumentalis subordinantur & arctè cohærent, atq; hinc exhibitio & dispensatio Christo servatori principaliter, ministro verò Ecclesiæ ministerialiter & instrumentaliter competunt.

L.

Materialis Sacramenti huius *causa* ex infallibili verborum institutionis $\rho\eta\tau\omega$ duplex constituitur. *Externa sive terrena*, panis & vinum, & *Interna sive cœlestis* verum corpus & sanguis Christi, verbo Christi instituentis *Sacramentaliter* unitæ, ut accepto & manducato benedicto pane, hausto item benedicto vino , accipiatur & manducetur ipsum Christi corpus, bibaturq; ipse Christi sanguis.

L I.

Nullam porrò externorum symbolorum immutationem verba institutionis admittunt, sed requiritur panis verus & naturalis, qui ex farina frumentacea & aqua subactis, virtute ignis pinsitur, ut sit cibus homini idoneus: nec minus vinum naturale & verum, quod ex uvis expressum, & iccirco $\tau\omicron\ \gamma\acute{\epsilon}\nu\eta\eta\mu\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \acute{\alpha}\mu\pi\acute{\epsilon}\lambda\alpha$ ab ipso Christo Matth. 26. vers; 29. Lucæ 22. vers; 18. indigitatur.

L II.

Errant igitur & verbis institutionis manifestè repugnant, *Beza & Bucanus*, asserentes: In ijs regionibus, ubi panis quem nos habemus desit, & vinum haberi nequeat, cum mente Christi convenire, ut in ijs terrenis alimentis

C 2

& cibus

Disputatio Theologica,

& cibus corporalibus utantur, quibus omnes homines pro pane & vino, cibo & potu utuntur.

LIII.

Usus panis in sacra Coena, *ratione qualitatis* esse ex numero *ἰσὺν ἀδιαφόρων καὶ ἐν τῷ μέσῳ κειμένων*, etiam nonnulli proceres ex Senatu *Caluiniano* fateri coguntur. Sic enim *Beza* in epistola ad quosdam Anglicarum Ecclesiarum fratres: Panis azymus ne sit an fermentatus, non magnopere putamus laborandum, quem secuti *Musculus in locis communibus fol: 348. Beuml. contra Synopsin. fol. 299.*

LIV.

Ἀγομαχία proinde illa inter *Latinos & Græcos* olim admodum acerbè agitata, plus ad Ecclesiæ destructionem quàm ædificationem directæ fuit, quod vituperium nonnulli adhuc ex *Caluinianis & Pontificiis* merentur: quorum illi panis non fermentati usum simpliciter damnant, fermentatum autem rigidè & obstinatè urgent: Isti vero in *Ecclesia Latina* panis azymi usum ad eò necessarium statuunt, ut Sacerdotem Ecclesiæ suæ consuetudinem strictè non observantem mortaliter peccare asserant.

LV.

Ἄζυμον tamen panem nostræ Ecclesiæ præferunt, tum propter exemplum Christi instituentis maximè *ἀξιωματικόν*: tum quia adversariis libertati nostræ insidiantibus, ex ea libertate in qua stamus, ne ad momentum quidem cedendum.

LVI.

Panis præterea noster *ἄζυμος* communis non est, si quotidianum spectes familiæ victum, communis tamen dici debet & potest, si communem spectes Ecclesiæ usum.

Quod

Quod igitur neq; contra fidem neq; contra bonos mores evincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum intra quos vivitur societate servandum est: verba sunt *Augustini Epistola 118. ad Januarium.*

• L V I I.

Qualitatem panis substantiæ & quidditati illius nihil quicquam addere vel adimere hæcenus certum: idem iudicium esto *de quantitate*, cum vel mica panis æquè nomen & definitionem panis admittat, atq; ingens eiusdem massa. Supercilium itaq; adversariorū, panes nostros spumas tantum & nebulas panis vocare non erubescantium parvipendimus; sciant illi panem in sacra Cœna non ventri alendo aut corpori nutriendo esse destinatum.

L V I I I.

Frivolum verò est effugium adversariorum, clamitantium, panem nostrum corporibus alendis ineptum esse: & sic ne nomen quidem panis mereri. Distinguimus enim, inter id quod ad nutriendum ineptum est per se, & id quod per accidens: Si id quod per se nutrire non potest intelligunt adversarij; negamus hoc de pane nostro dici posse: sic enim ne esibilis quidem esset: Si verò de eo quod per accidens ob parvitatem scilicet aut exiguitatem saturare aut nutrire nequit, loquantur, facile largimur panem nostrum talem esse: quippe qui in sacra Cœna non eo fine adhibetur, ut stomachum impleat, sed ut sit medium interveniens distributioni corporis Dominici, quod dum nostri quoque panes præstare possunt, quid ulterius desiderant? Adversarii?

L I X.

Neq; credo *Calvinianos* de suo pane decumano singulis

C 3.

gulis

854
Disputatio Theologica,

gulis ad sacram Coenam accedentibus frustum dare tantum, quantum ad nutriendum corpus cujusque requiratur! sumant illi tantum, quantum volent, nos secundum verba *Canonis Nicæni* sumemus parum: ut agnoscamus non ad saturitatem sed ad sanctificationem sumi. Interea Sacramentarios ut inter *officium* panis & vini *naturale* & *Sacramentale* distinguant, monemus.

L X.

Rem coelestem in sacra Coena Salvator instituens disertis verbis exprimit, *Hoc*, inquit, quod vobis porri- go vosque edere jubeo, *EST* (non significat sed est verissime) *CORPVS MEVM*, non agni Paschalis aut vituli, sed Filij *DEI* corpus proprium, ab eodem in unitatem Personæ assumptum: non signum non figura, virtus vel efficacia tantum ejusdem, sed illud ipsum corpus quod pro vobis in mortem traditum est. Similiter de sanguine dicit. *HIC EST SANGVIS MEVS, SANGVIS NOVI TESTAMENTI*, ille ipse *QVI PRO PECCATIS VESTRIS EFFVNDITVR.*

L X I.

Sole ergò meridiano clarius est, verba institutionis velle & requirere utriusque partis *ουρατικῆς* terrenæ & coelestis præsentiam: usque adeò necessariò, ut verè affirmare liceat, *Hoc* quod mediante pane exhibetur & manducatur, esse ipsissimum *CHRISTI* corpus, quod pro nobis in mortem est traditum, & rursus, *Hoc* quod mediante vino exhibetur & bibitur esse ipsissimum *CHRISTI* sanguinem, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum,

LXII. Horri-

LXII.

Horribilis proinde blasphemia est asseverare, intervallo tanto corpus Christi distare à sacra Cœna, quanto distet cœlum à terra : item panem tantum esse *μνημόσυνον* corporis Christi, typum, figuram & signaculum rei absentis, corpus Christi in sacra Cœna distribui non secundum substantiam sed secundum virtutem tantum, *Caluin: in defens. 2. cont. Westph. Cinglius in epistola ad Germaniæ Principes* : Dudum diximus corpus CHRISTI esse in Cœna, fidei cõtemplatione. Huc pertinent verba *Beza in Colloquio Mompelgartensi pag. 136. & 137.* quod ore corpus Christi non percipiatur aut percipi possit, quam plurima scripturæ testimonia manifestè confirmant, *quoniam in cœlis nunc est & non in terra* : cuius generis quam plurima alia in scriptis *Calvinianorum* passim occurrunt.

LXIII.

Neque ullius momenti est illud quod de signandi vi, signisque significantibus comminiscuntur : Hac enim ratione in quolibet epulo & convivio Eucharistia celebrari posset : cum nusquam non panis comestus & vinum haustum, signa nobis & symbola esse possint absentis corporis & sanguinis CHRISTI : nulla etiam inter agnum Paschalem veteris, & Cœnam Domini novi Testamenti, dari poterit differentia, cum & ille Typicam corporis & sanguinis CHRISTI significationem sustinerit.

LXIV.

Quæ ut manifestius pateant & adversarijs omnia, quæ ad obscurandam & convellendam Sacramenti huius substantiam proferunt, præcidantur : *Theologi nostrates*

Strates accuratissima distinctione negotium totum expediunt. Sacramentum enim hoc vel totum ratione utriusque partis *ουσατηνης* terrenæ nimirum & cælestis, signat aliquid, vel una pars essentialis signat alteram, visibilis nempe invisibilem.

L X V.

Priori modo utraq; pars essentialis, terrena & cælestis simul, signum appellari potest, & sic signatum est aliquid extra huius Sacramenti substantiam positum, fructus videlicet illius spiritualis, qui tamen ipsam Sacramenti essentialiam non ingreditur, atq; tum signi huius proprium officium non semper est *προσφέρειν*, sed interdum fructum illum tantum signare; non quidem ex intentione DEI, sed ob indignorum incredulitatem quæ sola quo minus saluari fructu potiantur, in causa est.

L X V I.

Posteriore modo signi appellatio uni parti essentiali, terrenæ nempe & visibili, pani & vino tribuitur: atque sic signatum non est aliquid extra Sacramenti substantiam positum, sed est altera pars essentialis res nimirum cælestis & invisibilis, & tum signi huius officium est non *σημαίνειν* tantum sed semper *προσφέρειν*, hoc est, conferre & exhibere signatum, credulis pariter & incredulis, dignis & indignis, qui eo utuntur.

L X V I I.

Uniuntur verò duæ istæ res, terrena nimirum & cælestis unione, non naturali, non artificiali, qualis interdum est corporum inter se mutuo, substantiarum item & accidentium, quæ vel naturæ vel artis operationibus mutuo quodam complexu, vel locali contactu, uniuntur, componuntur,

muntur, conglutinantur aut etiam miscentur, neque nuda
ἔρεσι aut relationis consideratione, vel metonymica qua-
dam significatione: sed *Sacramentali* hoc est occulta, my-
stica, coelesti, supernaturali & ineffabili: *Verè tamen & rea-*
liter.

LXVIII.

Describitur ista à *nostratibus*, quod sit divinæ virtutis
operatio, qua res terrena, panis & vinum, & coelestis, cor-
pus ac sanguis Christi, servata substantiæ sive essentiæ suæ
proprietas, verbo veracis & omnipotentis Christi ita co-
pulantur & junguntur, ut sint unum Sacramentum, &
pane hoc manducato verè etiam manducetur corpus
Christi, & hausto hoc vino verè etiam bibatur sanguis
Christi.

LXIX.

Cuius unionis Fundamentum non dependet ex oc-
cultis aliqua vi verborum institutionis, neq; ex dignitate
ministri distribuentis, aut ex fide utentis, sed in solidum ex
voluntate promittentis & ordinatione Sacramentum hoc
instituentis, qui est creator rerum quæ sunt omnium, qui
ea quæ non sunt, vocat ut sint Rom: 4. vers: 17.

LXX.

Ex unione Sacramentali de propositionibus & præ-
dicationibus Sacramentalibus commodè judicare possu-
mus & debemus, quando mediante illa id quod cum pane
ore corporis manducatur, dicitur esse corpus Christi, &
quod cum vino bibitur, dicitur esse sanguis Christi, idq; ve-
rissima & realissima prædicatione.

LXXI.

Harum propositionum tres potissimum occurrunt
D quarum

quarum prima est sanctorum Evangelistarum & Pauli I. Cor. II. v. 24. HOC EST CORPUS MEVM. Altera S. Pauli Apostoli I. Cor. IO. v. 16. PANIS QVEM FRANGIMVS EST *κοινωνία*, COMMVNICATIO, CORPORIS CHRISTI. Tertia B. Lutheri & aliorum, cum veterum tum recentiorum Ecclesiae Doctorum, HIC PANIS, vel, PANIS EST CORPUS CHRISTI; quæ licet in verbis & literarum sono discrepant, in sensu tamen & re conveniunt.

LXXII.

Quando ergò hæc propositiones PANIS EST CORPUS, VINVM EST SANGVIS CHRISTI, adhibentur, non prædicatur una substantia sive essentia de altera, nempe substantia corporis & sanguinis Christi de substantia panis & vini; (retinetur enim utrobiq; essentiæ veritas) neq; id tantum fit *οχητικώς*, per nudam significationem, neq; per *Zwinglianam ἀλλόωσιν* sive *ἀντίδωσιν τῶν ὀνοματίων*, sed prædicatio ista, ut pote Sacramentalis, pro ratione Sacramentalis unionis est intelligenda: quod nimirum pani & vino Sacramentaliter, verè tamen & realiter adsint cumq; ijs distribuantur corpus & sanguis Christi.

LXXIII.

Cujus explicationis *ὀρθοδοξίαν* confirmat Apostolica propositio, PANIS QVEM FRANGIMVS EST COMMVNICATIO CORPORIS CHRISTI: ostendens, prædicari de pane corpus Christi non absolute neq; essentialiter, sed Sacramentaliter, in ipso Sacramenti usu, qui consistit in actione peculiari verbo Christi determinata.

LXXIV.

Atq; sic exquisita conformitas propositionibus hæc intercedit cum illa Christi, HOC EST CORPUS MEVM, in qua pronomen Hoc uno complexu integram Sacramentii

menti materiam involuit, primò quidem & per se panem sanctificatum, per & propter unionem verò ipsum Christi corpus, quod tanquam principale in prædicato nominatur.

LXXV.

Quæ loquendi ratio ex communi consuetudine petita est; ubi duæ res unitæ sive conjunctæ uno subjecti complexu comprehenduntur, quæque earum præcipua est, & externis sensibus non semper obvia, in prædicato expressè nominatur: ut, si quis alteri marsupium in quo centum floreni continentur, tradat, dicere solet, accipe, hoc sunt centum floreni: sic visa columba Joh: 1. v. 31. Luc: 3. v. 22. rectè dici potuit, Hoc est Spiritus sanctus: fitq; id propter unionem, ob quam sermo ita attemperatur ac si res una esset, non gemina.

LXXVI.

Modus prædicandi in propositionibus Sacramentalibus, non essentialis est, non identicus propriè loquendo, neq; etiam merè verbalis, multò minus tropicus, sed mysticus planè & Sacramentalis, & ob id à Theologis *in usitatus* dictus: cum retento τῷ ῥητῶ, sive literali verborum institutionis sensu, plane singulari & inusitata ratione prædicatū de subjecto enunciatur.

LXXVII.

Propositio illa apud S. *Lucam & Paulum*, Hoc Poculum est novum Testamentum in Meo Sanguine, tropo Sacramentario nequicquam patrocinator: Verba enim Christi integra planum & perspicuum habent sensum; nimirum, poculum benedictum est novum Testamentum in sanguine Christi. Testamentum namq; sancitur ex parte DEI per sanguinis Christi in ara crucis effusionem, ex parte nostra verò confirmatur obsignatur & applicatur per ejusdem ex poculo bibitionem.

D 2

78. Exspirat

Disputatio Theologica,

LXXVIII.

Exspirat igitur omnis tropus Sacramentarius etiam in voce poculi, quod hîc non in prædicamento substantiæ vel respectu suæ materiæ ex qua constat: sed in usu suo seu officio consideratur: quatenus nimirum secundum institutionem Christi ex eo bibitur.

LXXIX.

Formalis sacræ Coenæ *causa*, est actio certa & peculiaris verbo DEI determinata, consistens in *δοσει* administrantis & *λύσει* communicantis sive Sacramentum sumentis.

LXXX.

Δόσις, sive actio dispensatoris absoluitur: *Primo*, *Consecratione*, qua panis & vinum verbo Christi sanctificantur. Ubi tamen nullam occultam & peculiarem vim, ex qua unio Sacramentalis, tanquam ex principali causa dependeat, consecrationi huic adscribimus: sed verba ista benedictionis officio funguntur.

LXXXI.

Usus interea illorum geminus est. I. *διακριτικός*, *judicativus*, dum panis & vinum à reliquis eiusdem generis creaturis separantur & ad subsequentem manducationem & bibitionem destinantur. II. *Usus* ejusdem est *ευκτικός* sive *precatorius*; dum verborum Christi recitatione & historiæ primæ Institutionis in memoriam revocatione ad ardentem precem excitamur, ut DEUS dignos Convivas mensæ huius ipsis etiam Angelis tremendæ nos efficiat.

LXXXII.

Secundò distributione seu exhibitione qua non tantum signa & Elementa, sed etiam res signatæ corpus & sanguis:

sanguis C H R I S T I ἐπιπιδῶς καὶ ὄντως exhibentur & distribuuntur.

LXXXIII.

Fractio panis per se actum Sacramentalem non constituit, sed distributioni inservit, ac proinde necessaria quidem propter finem, nempe distributionem, cuius præparatio est, non necessaria, si peculiarem actum Sacramentalem intelligas, sed tota quo ad tempus, locum, ministrum & instrumentum, Christianæ libertati & ordinationi Ecclesiasticæ subiecta.

LXXXIV.

λύσις, sive actus sumentis dupliciter absolvitur. I. *Acceptio* panis & vini, quæ sunt κοινωνία corporis & sanguinis Christi; quod num manu, num ore immediatè fieri debeat, multi scrupulosius quærunt quam utiliter explicant. Videant Novatores illi *Eusebium lib 7. hist. Eccl. c. 9.* Corpus Christi tam ore corporis quàm manu in primitiva Ecclesia reverenter acceptum memorant: Quid? quod verbum λαμβάνειν etiam ore accipere significet, testantur loca Marci 15. vers: 23. Joh: 19. vers: 29. 30.

LXXXV.

II. *Ejusdem manducatione* cuius tres species. I. *Naturalis*, panis & vini. II. *Sacramentalis*, corporis & sanguinis Christi, manducatio III. *Spiritualis* sive Fidei de qua caput 6. Johannis, quæ quomodo à Sacramentali differat paulò post ostendetur.

LXXXVI.

Porro *Sacramentalis*, quæ etiam ab instrumento percipiente, *oralis* dicitur, sequentibus nititur fundamentis. I, Quia Christus in verbis Institutionis organon perceptionis

Disputatio Theologica,

ceptionis corporis sui non fidem sed os humani corporis
definivit. Accipite, inquit, edite, hoc est corpus meum.

LXXXVII.

II. Quia *Apostolus* expressè de pane benedicto affir-
mat quod sit *καὶ σάρκα* corporis Christi, quicumq; ergò edit
panem HVC, edit ipsum Christi corpus, quod alio orga-
no quàm ore corporeo fieri nequit.

LXXXVIII.

III. Quia quæcunq; in eadem actione Sacramenta-
liter unita sunt, eodem quoq; organo accipiuntur necesse
est. Atqui in usu sacræ Coenæ panis cum corpore, vinum
cum sanguine Christi Sacramentaliter unita sunt: Ergò eo-
dem quoq; organo sumantur necesse est.

LXXXIX.

Accedit orthodoxæ antiquitatis suffragium, quod quia
verbis & Institutioni Christi maximè consonum, à nostra-
tibus Theologis meritò in honore habetur. Sic ergò *Chry-*
” *sostomus Homil. 29. in 2. ad Cor. Non vulgarem honorem*
” *consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum.*
” *Theodoretus* in explicatione prioris ad Corinthios. Igno-
” minia & dedecore afficiunt Christum, qui sanctissimum
” ejus corpus immundis manibus accipiunt & in pollutum
” atq; incestum os immittunt. *Sic Augustinus sermone 215.*
” *de tempore.* Videte fratres charissimi an justum sit ex ore
Christianorum ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum
carmen aut simile quiddam quasi venenum Diaboli pro-
ferri.

X C.

Spiritualis manducatio ipsam Sacramenti essentiam
non ingreditur, sed fructum potius ejusdem spectat; de il-
la sextum caput *Johannis* præcipuè agit, & à Sacramentali
differre

differe agnoscitur. I. ex sermonis genere Metaphorico, II. ex objecto, quia illic non de substantia Cœnæ sed de fructu illius verba fiunt. III. ex organo manducationis, quod ibi disertè nominatur fides. IV. ex eventu: sive efficacia, quæ semper salutaris, etiam Sacramentali manducatione non concurrente: V. Tandem ex circumstantia loci & temporis; quia conceio hæc toto anno prior fuit institutione Sacramenti, & quidem in Synagoga Capernaitica.

X C I.

Qua sane circumstantiarum evidentia adactus Calvinus in comment: in c. 6. Johannis manifestè fatetur: Ineptum fuisse ac intempestivum tunc de cœna differere, quæ nondum instituta erat. Calvinum sequitur Petrus Martyr in comment: c. 10. prioris ad Corinthios.

X C I I.

Cæterum de hospitibus sacri huius convivij Ecclesie nostræ orthodoxæ docent ac confitentur, quod non tantum verè in Christum credentes, & qui dignè ad cœnam Domini accedunt, verùm etiam indigni & infideles verum corpus & sanguinem Christi sumant, illi ad vitam, hi verò ad iudicium.

X C I I I.

Antagonista nostri de indignis disputant, eosq; nudis duntaxat vesci Elementis contendunt. Quidam illorum duas indignorum classes constituunt, primam, manifestè impiorum & incredulorum, contemptorum DE I ac verbi ipsius, omniq; fide vacuorum. Secundam aliquo modo indignorum vel non satis præparatorum, qui quidem verbis Christi credant, & sic aliqua fide præditi sint sed languida: unde fiat ut majestatem tanti mysterij non eo quo par est modo attendant & perpendant,

Disputatio Theologica,

X C I V.

Prioris classis homines nudum duntaxat panem & vinum, posterioris verò cum pane & vino corpus & sanguinem Christi sed indignè & ad iudicium, percipere asseverant.

X C V.

Quæ opinio non solum cum unionis Sacramentalis natura, sed & cum scriptura apertè & manifestè pugnat. Ita enim propter unionem Sacramentalem terrena & cœlestis sacræ Coenæ partes sibi invicem unitæ, ut sumta una alteram quoq; sumi necesse sit.

X C V I.

Ad hæc ea est verborum *Pauli* I. Cor: II. vers: 27. & 29. evidentia, ea articulorum emphasis, ut omnes adversariorum nebulas quas huic textui obfundere conantur, instar solis meridiani disijciat: si quis ederit panem *H V N C*, aut biberit de poculo *D O M I N I* indignè, reus erit *corporis & sanguinis Domini*, qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.

X C V I I.

Loquitur ergo *Apostolus* de vero corpore & sanguine Christi, cujus rei fiant indigni non averfatione, non rejectione *di' à πίστῳ* sed ipso esu atq; potu.

X C V I I I.

Digni proinde convivæ sunt juxta *Apostoli* doctrinam, qui se ipsos probant, num sint in fide, licet non omnes eodem fidei robore præditi, cum etiã languida fides Christi merito nitatur, neq; à Christo rejciatur, sed potius peccantibus augeatur. Indigni contra sunt & dicuntur, increduli

de sacra cœna Domini.

865

culi impenitentes & hypocritæ, qui sine contritione, sine serâ peccatorum agnitione & proposito emendandi vitam tantum ut impietatis suæ prætextum aliquem habeant & ab aliis pro Christianis habeantur, accedunt.

X C I X.

De ceremoniis in actu sacrae Cœnæ pro cuiusq; loci & Ecclesiæ consuetudine adhiberi solitis multa interdum altercandi potius quam ædificandi studio à Novatoribus moventur: Audiatur *Apostolus* I. Cor: 14. vers: 26. & 40. πάντα πρὸς οἰκοδομὴν, πάντα εὐχαριστήτως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. Neq; ob unius vel alterius rei in se adiaphoræ abrogationem Ecclesiæ turbandæ, infirmi offendendi libertasque Christiana adversariorum conatibus prostituenda.

C.

Finis sacrae Cœnæ monstratur verbis Christi hoc facite in mei commemorationem: quæ potissimum consistit in grata meriti Christi recordatione, fideli applicatione, pia gratiarum actione, DE IQ; in fide & vita celebratione, donec Christus corpora nostra suo corpore & sanguine nutrita, ad vitam excitabit: quem utpote panem, qui de coelo descendit, *hac veteris Ecclesiæ εὐχῆ* celebramus.

O panis dulcissime,
O fidelis animæ,
Vitalis refectio,
In te ut nos unias,
Et virtute munias,
Da te digne sumere,
Et carnales furias

E

Propel-



Disputatio Theologica,

Propellens, nos facias
 Tecum piè vivere,
 Sic resecti poculis
 Sanguinis, & epulis
 Tuæ carnis optimis,
 Seculorum seculis
 Epulemur sedulis
 Veritatis azymis.

A M E N.

C O R O L L A R I U M.

Utrum Calviniani articulum X. Confessionis Augustanæ in Patrocinium sui erroris vocare, atq; sic se pro sociis Augustanæ Confessionis jactare possint?

GLoriationem istam adversariorum, tantum à veritate abesse, quantum summum coelum ab ima terra, (quo ipso intervallo Christi corpus & sanguinem à S. Coena distare, assererat *Beza in Colloquio Possiaceno*) testantur, non solum ipsa decimi articuli verba, verum etiam universa *Confessionis Augustanæ* historia.

I enim, Antithesis illa articuli decimi, **ET IMPROBANT SECUS DOCENTES**, non *Pontificiorum* sed *Zvvinglij* ejusq; asecularum erroribus est opposita.

II. *Zvvinglius ipse peculiarem Confessionem ad Carolum V. perscripsit & edidit, quæ num Augustanæ Confessionis conformis fuerit, videre licet ex epistola Philippi Melanctoni ad B. Lutherum, Augusta ex Comitibus, scripta quæ inter alia sic habet.*

Zvvinglius

de sacra cœna Domini.

467.

Zvvinglius misit huc confessionem impressam ty-
pis: diceres simpliciter mente captum esse. De peccato o-
riginali, de usu Sacramentorum, de Ceremoniis, loquitur
valdè Helveticè hoc est barbarissimè, *suam causam de cœna*
vehementer urget.

Hist: August.
conf: p. 161.

III. Reliquæ Urbes quibus Zvvinglij opinio magis,
quàm Lutheri & Protestantium doctrina de cœna Domini
probabatur, peculiari & propria cōfessione ab Augustanæ
confessionis consortio se separarunt, *Sleidanus lib: 7. hist:*

IV. Principes & Theologi protestantes in comitiis

Augustanis congregati, cum Zvvinglio & sociis illius tum

temporis neutiquam senserunt aut fecerunt, Quam ob

causam Zvvinglium & Oecolampadiū pro fratribus agno-

scere noluit Lutherus in colloquio Marpurgensi & Zvving-

lianos in foedus contra Pontificios recipiendos dissuasit.

An: 1531. *Argentinesibus* etiam peculiaribus literis scripsit,

nisi suam (Lutheri) de sacra Cœna doctrinā amplecti vel-

lent, maturè ipsos reōciliationis labore & consilio superse-

dere posse; Neq; prius cum Bucero & sociis An. 1536 con-

cordiam inire voluit, quam rejecta Zvvinglij opinione sa-

niores de sacra Cœna doctrinam amplecterentur.

V. Ipsemet Calvinus in epistola ad Bezam Augustanā

confessionē facem appellat qua tota Gallia sit conflagratur-

ra. Beza illam sibi, *presertim in capite de sacra Cœna non pro-*

bari, apertè fatetur; Et quæ sunt alia emblemata & scom-

mata, quibus symbolū hoc Ecclesiarum protestantium ejusq;

confessores p̄secuti sunt & adhuc p̄sequuntur Calviniani.

Desinant ergò de patrociniis isthoc tam ineptè glo-

riari. Nisi forte Lutherū ipsum & Principes protestantes,

tum maximè, quando Imperatori Carolo V. confessionem

Augustanā exhibuerunt, illius ipsius confessionis assertores

& socios minimè fuisse, sine mente, sine fronte, asserere ve-

lint.

Hist Aug. cœ-
fess: p. 124.

Ibid. p. 195.

Ibid. p. 195.





AD DOMINVM M.
DANIELEM HEERMANNVM, &C.
COHABITATOREM ET CONVICTOREM
suum charissimum.




*Heermanninomen felix est o-
mine grato:*

*Militia fortem signifi-
cando Ducem.*

*Hinc quicumq; tuo positas in
pectore dotes*

*Noverit, hoc dignum nomine censuerit.
Ergo Heermanne sacri pie Dux exercitus esto:
Te Dominus Zebaoth roboret atq; beet.*

ANDREAS OSIANDER D.



EPIGRAMMA AD DOCTISS: DN.
RESPONDENTEM, AMICVM
meum.

ECquid edunt sacrâ Christum qui excludere coenâ,
Quiq; dapes, certant ponere symbolicas?

Numa

869.

Num Christum? at Christus coelo illis conditus alto est,
Huncq; vetant terris degere, ut ante, suis.
Ergo umbram pro corpore edunt, & symbola pro re,
Proq; cruore illis, umbra cruoris adest.
Digni homines certè! quos semper pascier umbris,
Atq; dapum fictis par sit imaginibus.
Sic minor atq; minor Calvum sit copia fratrum,
Nec superent homines, nec levis umbra hominum.

Zach: Schaeferus Poët: & Histor: PP.

A D
DN. RESPONDENTE MET COM-
MENSALEM EXOPTATISSI-
mum.

Ille oculus mundi mediâ si in luce fatiscit
Languidus, & pullos nubibus abdit equos:
Aut notha fraternas ferrugine Delia flammâs
Induit, horrendum dicitis Astrologi!
At si divini lux sacratissimi verbi
Tota Genevensi computrefacta luce
Tabet, & atratis Calvorum involvitur umbris,
Theiologi quantum dicitis esse malum?
Infandum. Ergo dies fuerit nox, ergo tenebrae
Lux, & quod res est symbolon illud erit?
Ergo ne quis animam lustravit purpura CHRISTI,
Non eadem CHRISTI purpura potus erit?
Et quae Christicolis deterfit massa reatum,
Christicolis fuerit non ea massa cibus?

E 2

Hui!

Hui! credam potius mundum à compage revelli
Aut cælum in vasto posse natare salo:

Talia quàm humanam sibi somnia fingere mentem,
Somnia vel Stygio penè tremenda Iovi.

Et tamen hæc hodie finguntur somnia, quæ vel
Morphea Fictorem sollicitare queant.

Et tamen hos CONCORS Fictores FORMVLA signat?
Inq; sacro tentant dicere jura foro?

Ite foras: Tauri foriis qui nascitur, ædem
Fucus mellificas non habet inter apes.

Tu bene qui Calvi tua cornua cornua contra
Dirigis, ac ipsi in vertice stigma probas

HERMANNE, Harminij vis æmula pectoris, altâ
Divina Eusebie quam solida vit ope.

Perge ô divinæ lucem sic reddere luci,
Inq; sua VERVM sistere luce DEVM:

Sic animi quondam læto florebit honore
Lux tua clara solo, lux tua clara polo.

M. Joan: Martinus Rauscher LL. Stud:

F I N I S.

Errata sic corrigantur.

Th: 1. lin: 7. lege. absurditatibus. Th: 16. lin: 5. lege. ῥητόν.
Th: 40. lin: ult: lege. præbet. Th: 44. lin. 8. lege. separari.
Th: 48. lin: 3. lege. promulgavit.



872.

1A



Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333




82

Reha

15. 17







m Centuria. 833.

INOSTRI

aticulo erro-

o
lentiss: viri,

REÆ

S. THE-

RIS, EIVS-

INGENSIVM
cademiæ Cancellæ
dignissimi, Do-
urimum

o. & 21. Augusti.

abendam.

MANNO

io,

o M. DC. XIII.

14

